

at vos exiguo pecori, furesque lupique,  
parcite: de magno est praeda petenda grege.  
hic ego pastoremque meum lustrare quotannis  
et placidam soleo spargere lacte Palest.  
adsitis, divi, neu vos e paupere mensa  
dona nec e puris spernite fictilibus.  
fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis  
pocula, de facili conpositaque luto.  
non ego divitias patrum fructusque requiro,  
quos tulit antiquo condita messis avo:  
parva seges satis est, satis est requiescere lecto  
si licet et solito membra levare toro.  
quam iuvat inmites ventos audire cubantem  
et dominam tenero continuisse sinu  
aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit Auster,  
securum somnos imbre iuvante sequi.  
hoc mihi contingat: sit dives iure, furorem  
qui maris et tristes ferre potest pluvias.  
o quantum est auri pereat potiusque smaragdi,  
quam float ob nostras ulla puella vias!  
te bellare decet terra, Messalla, marique,  
ut domus hostiles paeferat exuvias:  
me retinent vinctum formosae vincla puellae,  
et sedeo duras ianitor ante fores.  
non ego laudari curo, mea Delia; tecum  
dum modo sim, quaeso segnis inersque vocer.  
te spectem, suprema mihi cum venerit hora,  
te teneam moriens deficiente manu.  
flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,  
tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.  
flebis: non tua sunt duro praecordia ferro  
vincta, neque in tenero stat tibi corde silex.  
illo non iuvenis poterit de funere quisquam  
lumina, non virgo sicca referre domum.